Cotugno

COMPENDIVM
GRAMMATICAE ARABICAE
AD INDOLEM LINGVARVM ORIENTALIVM
ET
AD VSVS RVDIMENTORVM
CONFORMATVM

CVM

PROGYMNASMATIBVS LECTIONIS ARABICAE

EX HISTORIA ORTVS AC PROGRESSVS LITERARVM

INTER ARABES DECERPTIS

CHRESTOMATHIAE ARABICAE A SE EDITAE

IVNGENDVM ELABORAVIT

HENR. EBERH. GOTTLOB PAVLVS

AA. M. PHILOS. D. LINGG. ORIENT. PROF. PVBL. ORDIN.

IENAE,

APVD CHRIST. HENR. CVNONIS HAEREDES

MDCCLXXXX.

L'Orient, qui doit l'univerſité de la langue Arabe a ſa fauſſe Religion, pourroit être plus heureux que nous. La richeſſe de cette langue eſt infinie. Nous puiſons nous mêmes ſouvent dans cette ſource, pour exprimer les productions naturelles. Enfin elle eſt presque auſſi invariable, que ſi c'étoit une langue morte. Mais ces avantages ſont en pure perte. Le Mohametan n'a pas beſoin d'une langue ſavante, parce qu'il n'eſt pas ſavant.

I. D. Michaelis
de l'influence des opinions ſur le langage et du langage ſur les opinions. p. 139.

Cum *edendae Chrestomathiae Arabicae* consilium, quod mihi subnatum esse in *Commentatione specimina Pentatevchi arabica inedita exhibente* nuper professus fueram, Viris Eruditis non improbari intellexissem et jam scholae meae arabicae libellum istum expeterent, molestiam *Grammaticae* addendae quomodo a me averterem non vidi. Neque enim Grammaticae Institutiones, quibus *Perill. Michaelis* etiam hoc studiorum genus adjuvit, *sine* Chrestomathia iis adjuncta, neque *Kallianae* illae, minus omnino, quam par est, cognitae, facile parabiles erant. Aliae vero sunt, quae copiosiores

videbantur, quam quas brevis ille atque, ut est prohdolor! festinabundus curſus academicus viva voce explicari permitteret. Denique, cum literarum arabicarum studia cum aliis linguis, erudito homini vel necessariis vel utilibus, ſana et facillima methodo tradi et univerſe et nunc inprimis operae sit, ne ii, qui omnia fere haec ſolidioris doctrinae instrumenta juveni nimirum liberali et ingenioſo, ut ajunt, abjicienda clamant, a perverſa aliqua eas tractandi ratione argumento ſcilicet ab inertia ducto ſpeciem quandam concilient, non quidem nihil commodi propagandae huic linguae, Historico ſane Theologo Medicoque proficuae, afferri posse videbatur, si unum quoddam, neque vastum, volumen omnem *rudimentorum* ambitum, id est novam legendi materiam Glossario juncto explicandam ac brevi Grammaticae compendio illustrandam complexurum foret.

Vix autem vereor, ut sint, qui me quidem haec omnia consilii, quod executus ſum, excuſandi potius et ex parte deprecandi, quam

expli-

explicandi caufa praefari voluisse fufpicentur. Noram enim, ei, qui sibi impositurus esset Grammaticae arabicae delineandae molestiam, opportunitates fe offerre non omnino nullas, *dilucida brevitate*, *ordine in melius mutato*, *formas primo cuique obtutui per tabulas confpicue exhibendo*, *multa quae Lexicis relinqui debent*, *refcindendo*, *alia vero*, *ut v. c. Syntaxeos leges*, *fupplendo* operae fuae utilitatem et augendi et commendandi. Quibus ipsis modis dum me opufculo meo perficiendo studuisse libere profiteor, nemo, putem, id arrogantius a me dictum existimaverit, cum simul meum illud qualecunque studium ex optimis de eodem argumento libris et recentioribus et aliis, superiorum temporum non subitanea diligentia elaboratis, quam plurima, ut debebam, hausisse gratus lubensque affirmem. Praecipui vero inter hos— recentiores enim illos omnibus notos sileri hoc loco posse, nec ipsis auctoribus difplicebit — fuerunt: „Grammatica arabica dicta Giarumia, et libellus centum regentium cum versione latina et commentariis *Th. Erpenii*„ (Leidae. 4.

1617.) — „*Franc. a Mesgnien Meninskii* Linguarum Orientalium, Turcicae, Arabicae, Persicae Institutiones„ (Viennae 1680. fol.) et „Fabrica linguae arab. . . accommodata ad usum linguae *vulgaris* et scripturalis, auct. *P. F. Dominico Germano a Silesia* . . lingg. orientalium lectore„ (Romae 1639. fol.) quod postremum opus et ad linguam vulgarem cognoscendam et ad Lexica nostra Arabica augenda adhiberi posse notatu hîc indignum non est.

De analogia arabicae grammaticae cum hebraea Audituros uberius monere, utilitatis immo necessitatis esse et apud me confirmatum habeo. Sed hanc ipsam ob causam atque etiam, ne excrescat libelli compendium, solicitus vivae praelectionum voci illud reservandum putavi, ubi, quae quovis loco ex institutionibus hebraicis consulto supponi possint, docentis judicium coram institui et fere ex oculis vultuque discentium se regere poterit. Praeterea jam a primis adeo rudimentis decantato illi arabicam et hebraeam dialectum inter

se

ſe comparadi vel studio vel artificio ego quidem nolim, *ultra quam fas eſt*, mancipari juvenem eo, ſpero, conſilio, ut maxime debet, et Arabica adeuntem, ut Orientem, unde doctrinae Christianae et Philoſophiae Aristotelicae ac Platonicae in his nostris plagis olim restauratae initia, cum incrementis non paucis Mathematum, Medicinae aliarumque artium accepimus, ipſe animo viſeret, auras illas liberiores, ubi generis nostri primam ſobolem naturae aluit benignitas, mente quasi carperet, inprimis vero morum atque ingenii indolem illam et veluti formam plane singularem neque nostri ad instar nobis temere effingendam ex ipsis orientalium ſermonibus ac commentationibus justa hariolandi arte eliceret, ejusque ſenſum aliquem sibi de rebus ac notionibus inter Orientales primo natis judicaturo caute firmiterque imprimeret, ac jam incredibili isto in ſentiendo, meditandoque et eloquendo, a nostris moribus diſcrimine ac varietate delectari, jam vero, hac demum liberaliori comparatione, aliena illa (id quod Theologo plerumque magna cum animi

stu-

ſtudiorumque contentione tentandum est) in noſtros typos quaſi transformare adſuefieret, denique et res oriente ſub ſole geſtas verius ac penitius noſſe, immo hiſtoriam exculti generis humani per ſingulas ſuas partes ab oriente repetere, id est a primis inde incunabulis perſequi valeret.

Sed dictis his dum multiplicis utilitatis ex literis orientalibus percipiendae magnum, nec nimium tamen, me promiſſorem fuiſſe minime poenitet, etiam ſpem ipſarum ab erectioribus ingeniis juſtaque aſſiduitate diſcentium nunquam deſtitutum iri ſperandum atque ingenue efflagitandum est.

Scripsi in *Alma Salana* ipsis Calendis Decembribus A. MDCCLXXXIX.

CAPVT

Capvt Primvm

de

SCRIPTIONE ET LECTIONE

I.

Alphabetum arabicum characteribus Nif-chi (نَسْخِي) i. e. *fcriptoriis* feu *vulgaribus* fcriptum fic fe habet:

1. *Confonantes.* (الحُروف)

Nomen		*Literarum Figura* absolutarum	*Literarum Figura* connexarum	*Literarum Figura* hebr. fcripta.	*Literarum Figura* fyriace fcripta.	Refpondet hebr.	Valet numer.
Eliph *a)*	أَلف	ا	ااا	א	ܐ	א	1.
Be *b)*	بآء	ب	ببب	ב	ܒ	ב	2.
Te *c)*	تآء	ت	تتت	תּ	ܬ	ת	400.
Tfe *d)*	ثآء	ث	ثثث	ת̄	ܬ݂	ת et שׁ	500.

Obferuanda de fono.

*) In libris, hiftoricis praefertim ac geographicis, optandum eft, ut conftantes leges de literis, quae arabicis vere refpondent, tandem aliquando recipiantur.

a) Profertur cum libero gutturis impulfu. *Germ. de Silefia.*

b) Nonnunquam ut p. fonat. *Meninski.*

c) T *lene* vel potius Th. Gr. ϑ.

d) Vt Anglorum Th pronunciant docti, ut Neo-Graeci ϑ. quod Tfe fonat. "A vulgo Arabum ut T. a Turcis ut S. pronunciatur.,, *Meninski.* Aliquantisper afpiratum et fibilatum. *Germ. de Silefia.*

Nomen		*Figura literarum.* ab'olutarum	connexarum	hebr. ſcripta	ſyriace ſcripta	Reſpondet hebraeo	Valet numer.
Gim *e*)	جيم	ج	ججج	גּ	ܓ	ג	3.
Hha *f*)	حآء	ح	ححح	ח	ܚ	ח et ה	8.
Cha *g*)	خآء	خ	خخخ	כ	ܚ	ח	600.
Dal	دال	د	ددد	ד	ܕ	ד	4.
Dſal *h*)	ذال	ذ	ذذذ	ד̄	ܕ	ז et ד	700.
Re	رآء	ر	ررر	ר	ܪ	ר	200.
Ze *i*)	زآء	ز	ززز	ז	ܙ	ז	7.
Sin	سين	س	سسس	ס	ܣ	שׂ et ש	60.
Schin *k*)	شين	ش	ششش	ש	ܫ	שׁ et ש	300.

Nomen

e) Vt plurimum ſonat ut g Italicum ante e et i (Germ. Tſ vel Dſ) In fine vocabuli, atque ante ac ſaepe poſt literas (duriores)

ت ث ج خ س ش ص ط ق كى

ut Tſch. *Meninski.* Hinc Batavi id per Gj exprimunt, quod pronunciari iubent ut I Gallicum in: jamais. v. *Erpen.* praef. ad Grammaticam *Giarumia.* Angli per I, Graeci exprimunt (nonnunquam) per τζ ut جامع τζεμεη. Non raro idem ſonat ac گ.

f) Vt Germ. h in voce: *haben. Men.*

g) خ Fortius et absque illo ſibilo, quod Germani in ſuo *ch* habent. Formatur ſuperius in principio gutturis, ore minime compreſſo. *Men.*

h) ذ a doctioribus pronunciatur in apice linguae, tangendo dentes ſuperiores, quaſi *dhzal* ſeu *dhze.* Plebi *d*, Turcis Z *Gallicum.* ſonat. *Men.*

i) Gallicum et Latinum Z. gr. ζ. S lene, ut in voce: *Solches. Meninski.*

k) Germanicum Sch. Italis *ſc.*

Nomen	Figura literarum. absolutarum	connexarum	hebr. ſcripta	ſyr. ſcript.	Reſp. hebr.	Valet numer.
Tſad *l*) صاد	ص	صصص	צ	ܨ	צ	90.
Dad *m*) ضاد	ض	ضضض	צ̇	ܨ̇	צ	800.
Ta *n*) طاء	ط	ططط	ט	ܛ	ט	9.
Dha *o*) ظاء	ظ	ظظظ	ט̇	ܛ̇	ט et צ	900.
Ain *p*) عين	ع	ععع	ע	ܥ	ע	70.
Gain *q*) غين	غ	غغغ	ג̃	ܥ̇	ע	1000
Phe *r*) فاء	ف	ففف	פ	ܦ	פ	80.
Kaph *s*) قاف	ق	ققق	ק	ܩ	ק	100.
Ceph *t*) كاف	ک ك	ككك ککک	כ	ܟ	כ	20.

Nomen

l) Latinum ſ. ſibilans, German. ℨ. ſeu potius 𝔗ſ. graec. σ.

m) Doctioribus blaeſe et fortius quam ذ, ſonat plebi D. *Men.*

n) T. durius, non ϑ.

o) "Eodem plane modo ut ض" *Men.* "Acutius tantisper., quam ض cum quo frequenter et faciliter conuertitur tam in idiomate quam etiam ſcriptura". *Germ. de Sileſia.*

p) "In profunda parte gutturis formatur magna faucium dilatatione atque innixa extremitate linguae interius ſubtus inferiores dentes — Cum quodam gutturis fragore, ut aiunt, inſtar vocis vituli matrem vocantis, ſine narium adminiculo. Qualem ſonum ederet dolore preſſus aliquis vim ſibi quandam inferens ad aliquid faciendum; *quod certe vivam docentis vocem requirit.*" *Meninski,* conſentiente *Germ. de Sileſia.*

q) ut g ante a, o, u. Gutturaliter. *Men.*

r) Ph, non lat. F. ſeu W. Germ. 𝔉.

s) Germ. K. ق ut Tſch ſonat apud accolas ſinus Perſici. v. Niebuhr Deſcr. Arab. p. 83. Alibi permutatur cum ج

t) Ch. et C. Fere ut Ci.

Nomen	Figura literarum. absolutarum	connexarum fin. med. init.	hebr.	syriace	Resp. hebr.	Valet numerice
Lam u) لام	ل	للل	ל	ܠ	ל	30.
Mim x) ميم	م	ممم	מ	ܡ	מ	40.
Nun نون	ن	ننن	נ	ܢ	נ	50.
Wau واو	و	بوو	ו	ܘ	ו	6.
He y) هاء	ه	ههه ههه	ה	ܗ	ה	5.
Ie ياء	ي	ييي	י	ܝ	י	10.

2. *Vocales.* (الحركات)

Nomen	Figura
Phath-ha فتحة et فتح	ـَ ـَ ـَ

A *clarum* sonat in fine dictionis, plerumque etiam, si syllaba simplex est, super initiali radicali. Vt E = η in syllaba Gezmata, sub initiali servili et alias subinde ex vsu, in primis super media radicali pronunciatur.

Cesre

u) ل in ال ante literas *Solares* رزسشصض تد طلن et سشصض تد طلن sonum his similem accipit.

x) ن pronunciare iubemur *suo* sono ante اهحخعغ Sed ante ب ut M, ante literas لوميز ut ipsa illa sequens litera, ante reliquas, praecipue ante ق et ک ut ng. Sed ab utraque regula usus loquentium saepe recedit.

y) ة est aequale τῳ ت "Docti fere nunquam pronunciant, nisi ut E." *Meninski* p.19. c. VI. Suspicor, Meninskium scribere voluisse: *Indocti*.

Cefre	كَسْرَةٌ et كَسْرٌ	إ إ إ	I (Y) et E. Figura *horizontalis* apud Occidentales ufitatior eft in Phathha et Cefre.
Damma	ضَمَّةٌ et ضَمٌّ	أُ	O obfcurum in fine dictionis, fuper prima radicali etc. ü in fyllaba Tefchdidata. Alibi u. *Sonus vero vocalium non raro ufu unice regitur.*

Obfervationes ad Alphabetum pertinentes.

1. *De Confonis.*

I. 1. Homeritarum, five *Hamjaraeorum* Arabum *fcriptio*, aera Hegirae (feu anno Chrifti 622.) nefcimus quantum? antiquior, ab inftructioribus inter Arabes, et aliarum tribuum, ante Muhammedem ufurpata, Mosnad (مسند) i. e. *Indica* appellatur. Hamiaraei enim apud veteres fcriptores etiam Indi dicuntur *). *Figurae* nondum detectae. An fyllabariae fuerint, quales Sabii habent et Aethiopes, ambigitur. Tefte Ibn Chalican literae huius fcriptionis *non cohaerebant*. *Ordo* literarum idem erat, qui adhuc-

*) *Affemani* Biblioth. Or. T. III. P. II. p. 568.

dum apud Hebraeos. Atqui Iudaica ſacra ſecuti Reges Hamjaraei, ut traditur, annis 700. ante Mohammedem quid non ab Hebraeis mutuati forte videantur? cf. 1 Macc. V, 3. 24. XII, 31. Ioſeph. Archaeol. XIV. 1. 4.

2. Illam ſcriptio Arabum *Koraiſchitarum*, qui Mohammedis tribules, provinciam Hegaz (الحجاز) incolunt, poſtea abolevit. Ea enim, foris nata (unde موامر apud Ibn Schonam dicitur) cum brevi ante Islamismum e finitima Meſopotamiae parte ad Arabes deveniſſet, mox in Corano exarando adhibita, inde omnibus innotuit, nomen vero Cuficae a celeberrima Cufae (كوفة) oppidi Iracenſis a. H. XVIII. conditi Schola, ubi haec ſcribendi ars inprimis exercebatur, poſtea accepit, calamo pingi ſolita *non fiſſo*. Nec ſilendum, Hirae, unde illa ſcriptio proveniſſe traditur ad Koreiſchitas, Chriſtianiſmum tunc inter Arabas non multo ante Mohammedem tempore receptum floruiſſe. Pocok. ſpec. Hiſt. Arab. p. 72. 73.

3. E Cuficis ſenſim (cf. Tab. XLIII. ap. Niebuhr in Itiner. P. II.) habiliores atque ad celeritatem ſcriptoris minus ineptae atque impeditae literae efformabantur. Qua in arte *Ebn Mocla* inter a. C. 885-938. poſt hunc vero *Ibn Albuab*, qui a. C. 1031. obiit, primi egregie profeciſſe leguntur. cf. Deſcriptio Codd. quorundam Cuficorum partes Corani exhibentium in Bibliotheca regia Hafnienſi — auct. *Iac. Ge. Chriſti. Adler.* Altonae 4. 1780. coll. *Michaelis* Bibl. Orient. T. XVI. p. 1 - 11.

II.

II. 1. Alphabetum arab. Syriaco et Hebraeo *perfectius* eſt, dum خ et غ ac literas illas غ ظ ض ث ذ quas blaeſe pronunciare jubemur, puncto diſtinguit, id quod iam in Cufica ſcriptione recentiori certe poſt Muhammedem, fieri obſeruatur. Duarum ex his natura nonniſi collato idiomate ſyriaco recte intelligitur. Vbi Syris nimirum ∠ pro hebr. שׁ et ܕ pro Hebr. ז ex ſua pronunciatione ſcribendum eſt, ibi Arabes ث pro ت ذ, pro د pingunt. In reliquis tribus ظ ض غ diſcrimen pronunciationis accuratius notant quam reliquarum dialectorum Alphabeta. ظ *plerumque* ſcribitur, ubi ab Aramaeis ט pro hebr. צ pronunciabatur. Nonnunquam tamen puncta illa diacritica negligi videntur e. g. זחל Aram. דחל Ar. دحل (coll. Iob. 32, 6.) בצר Aram. בטר Ar. بطر, עצל Aram. עטל Ar. عطل, צמם Aram. טמם Ar. طم, צלל Aram. טלל Ar. طلل, שבר Aram. תבר Ar. تبر, ישב Aram. יתב Ar. وتب, שוב Aram. תוב Ar. تاب. *Vſus huius diſcriminis in comparanda hebraea et arabica dialecto.*

2. Literae hae quinque blaeſae olim *ſub finem* reliquarum XXII. additae erant in ordine Alphabetico, id quod e valore, quem habent, numerico patet. cf. Pocok ſpecimen Hiſt. Arab. p. 317. 318.

3. Idem valor numericus, antiquitus et reliquas literas eodem, quo Syriacae ſcribuntur, ordine alphabetico ſe excepiſſe oſtendit. Alius

ille ordo, qui *nunc* apud Aſiatas et Aegyptos receptus eſt, ſimilitudinem literarum e Cuficis ſerius efformatarum (Obſ. I. 3.) ut normam ſequitur, unde ſec. X. antiquior non eſſe intelligitur. Mauris et olim et nunc alius ordo placuit. v. *A. Schultens* Gramm. Arab. p. 5. 6.

4. Si ا ſyllabam inchoat, vel ſi mobile eſt, notatur per ء Hamza (*punctionem* هَمْز) Mauri enim pro hac figura punctum craſſiuſculum pingunt. ء interdum indicat literam ا, ſi abeſt ex calligraphiae regulis poſt literas أوي, aut ſi و vel ي pro ا poſitae ſunt. Si ا per vocalem antecedentis ſyllabae pronunciatur, (id quod fit in articulo ال, in Imperativis, ا formativo verborum paucisque in nominibus) habet ſignum *cohaeſionis* ٱ Wesla. وصل Extra hanc cohaeſionem Aleph dicitur (الف القطع) *abſolutum*. Si ٓ ſcribitur ſuper ا, quieſcens ante ء, dicitur Medda (*productio*).

III. Ex eodem ordine et valore numerico conjicimus id, quod cum uſu ipſo concordat, figuram س ut Syriaco ܣ (atque ideo hebraeo ס) reſponderet, formatam fuiſſe. Attamen hoc ipſum س cum hebraeo שׂ aeque ac שׁ convenire, vel uno exemplo vocis شمس שמש et centenis aliis evincitur, ex ipſo Lexico Caſtelli Heptaglotto, quod hanc legem damnat, tironi promendis. cf. Storr Obſſ. ad Analog. et Synt. hebr. p. 30. Interdum etiam שׁ per errorem pro שׂ ſcriptum eſſe et vice verſa, vero eſt ſimillimum. Sed ubi dubitamus, ad Syrum ܣ attendamus, neceſſe eſt.

IV.

IV. Mauri pro ق pingunt ب pro ق, ق Adler. l. c. p. 15. Consona quae puncto (نقطة) discernitur, Grammaticis معجومة *punctata* dicitur, quae punctum non habet, مهملة — Litera, si *uno* puncto discernenda est موحدة si duobus مثناة si tribus مثلثة v. Abulfedae Geographica Opp.

V. Alphabeta arabica diversa et Calligraphiae varietates cognituro evolvantur: *Ed. Bernardi* orbis eruditi literatura a charactere Samaritico deducta a. 1689. denuo edita a *Car. Morton* 1759. — *Büttner's* Vergleichungstafeln der Schriften verschiedener Voelker. Goettingen. ex quibus potiora, quae huc pertinent, exhibentur in tabulis duabus Introductioni ad V. T. *Eichhornianae* subiunctis. — Tabulae Itinerariis *Chardiniano*, *Niebuhriano*, *Hoestiano*, aliisque insertae — Grammaire Turque, à Constantinople. 1730. — *Adler* l. c. — — Alphabetum *vulgare majusculum* Sülsi (سلسي vel ثلثي) dicitur. Forense Turcarum (Canzleischrift) est *Diwani* (ديواني) lineis in progressu ascendentibus. Datur vero maius (جلي) et minus (غبار). Quae scriptoribus Turcis, inprimis vero Persis placent literae minoris formae, *Taclik* (تعليق) appellantur. Scriptura *fracta* cuiusque generis قرمة audit. *Meninski.*

2. *De Vocalibus.*

1. Puncta vocalia in scriptione Cufica observarunt *Hottinger* in Thes. Philog. p. 403. e fragmen-

to, quod habebat, Coranico Cufico, *Seb. Rau* in Diſſ. de eo quod Arabes ab Aramaeis acceperunt. (1775.) p. 53. ex tabula IV. Niebuhrianae Deſcriptionis Arabiae, et *J. Ge. Chr. Adler* in Diſſ. allegata (1780.) e Codd. Cuficis Bibliothecae regiae Hafnienſis.

2. Eadem in antiquiori ſcriptione Syrorum Eſtrangelica jam uſitata fuiſſe vero eſt ſimillimum. vid. *J. D. Michaelis* Comm. de Syrorum vocalibus ex Ephraemo.

3. Si آ poſt آ aliud excidit, ſcribitur آ

4. Vocales nominum finales Grammatici duplicant. Tum quaſi cum addito ن pronunciantur, vnde hoc praeceptum التّنوين (*Nunnatio*) dicitur. Si ultima litera quieſcit, nunnatio afficit vocalem antecedentem. Sed uſus loquentium id ignorat, nec Rythmus obſervat. Ceſſat etiam ex lege Grammaticorum, ſi vel articulus ال adeſt, vel vox cum ſequente conjunctim legitur, atque in quibusdam formis nominum collectivorum. Nos, et quo facilius mendas vitemus typographicas, eam Coranicae ſcriptioni omnino relicturi, ſubtilitatem indicaſſe ſatis habemus.

II.

II.

De Syllaba.

1. Syllabam e duabus consonis *diversis compositam* afficit signum ° seu ᵕ quod *resectionis* (جَزْم Gezm) vocant.

2. Syllabam e duabus consonis *repetitis compositam* afficit signum ّ *fortioris* pronunciationis (تَشْدِيد Teschdid) quod etiam gutturales recipiunt.

Hoc in Codd. accuratioribus etiam appingitur, vbi ex Obs. supra p. 4. nota *x*. annotata sonus literarum ل et ن sono literarum in sequentium se immiscet, ut أَلرَّبّ, مِن رَّبِّ, eandemque ob caussam ubi sonus د in sonum subsequentis ت fere transit, ut وَحَدَّثَ vel vice versa.

3. *Tonus* in dissyllabis penultimae, in pluribus syllabis antepenultimae inhaeret, nisi ultimae syllaba longa fuerit, quae deinde, ut in hebraeo, tonum recipit. قَتَلُوا Katalû. قَتَلْنَا Katalnâ.

4. Syllabam compositam *longam* efficiunt literae أوي *debiles* i. e. *Quiescentes in vocali analoga.*

5. ~ subinde est abbreviati nota. جـ pro جَمْع *plurale.* عم pro عَلَيْهِ ٱلسَّلَامُ *super eo sit pax* ألم pro أَنَا ٱللَّهُ أَعْلَمُ *Ego Deus scientissimus sum.*

CAPUT

Capvt Secvndvm

DE

FORMATIONE VOCVM GENERATIM.

Obſ. plura, quae de formatione vocum generatim dici poſſent, rectius pertinent ad Lexica.

1. Semper *radicales* (أَصْلِيَّةٌ) ſunt literae: تَحَخْ جَذَ رَزَشْ صَض طعغق plerumque etiam طب

2. Ad legendos libros punctis diacriticis deſtitutos atque ad diſcernendas voces barbaras ab arabicis notentur literae, quarum una alteram in eadem redice proxime inſequi ob ſoni ſimilitudinem vel pronunciationis difficultatem recuſat. Sunt vero hae: ب et ف, ت et ث, ث et س ض ض ط ظ, ج et غ ق ك, د et ذ, ذ et ص ض ط ظ, ر et ل, ز et ص ط ظ, س et ص ض, ش et ض, ص et ض ط ظ, ض et ط ظ, ط et ظ ك, ظ et غ ق, غ et ق ك, ق et ك, ل et ن

3. *Canones de permutatione literarum* أوي in quibus praeſcribendis Arabes ſubtilitatem vel hebraicorum Grammaticorum ſuperant: A) Generatim: literae *debiles* أوي *in ſyllaba compoſita* vocali ipſius *a*) ſe aſſimilant. Sic دَارٌ *domus* fit ex دَيْرٌ, بِئْرٌ *puteus* ex

ex بأْرٌ ,نُؤْيٌ *incile*, ex نَأْيٌ (Non raro tamen و et ي post Phathha aut diphtongescunt ut تَوْمٌ *dies aut*, *ut* رَمْيَةٌ ,غَزْوَةٌ, quiescunt.) *b*) Saepe vero, si non finales sunt in syllaba, excidunt. يَخَافُ fit يَخَفْ *timebit.*

B) *In medio dictionis* *) I. 1. ا *Dammatum* fit و ut أُوبٌ *pascua* pro أأبٌ — *Cesratum* fit ي ut قَايِلٌ *dicens* pro قَائِلٌ — Phathhatum *post* Damma fit و ut دُوَبٌ *studia* pro دُأَبٌ, *post* Kesre ي ut فِيَةٌ *hominum agmen* pro فِئَةٌ —

2. و Phathhatum *post* Kesre interdum fit ي ي Phathhatum *post* Damma interdum fit و

II. و ante aliud و et ي ante aliud ي saepe hoc ob calligraphiae studium expellunt. رُوسٌ pro رُؤُوسٌ et رَيِسٌ pro رَيِّيسٌ

C) *In fine dictionis* I. 1. ا post Damma in و mutatur, post Kesre in ي

2. و

*) *Praefixa* vero cum syllabis dictionis ipsius non connumerantur, ita, ut syllabam, quae initialis fuerat, mediam facerent. *Affixa* nonnisi ا in medium collocant.

2. و post Damma quiescit, ut مَرْدُو pro مَرْدُوٌ

3. ي Damma antecedens in Cesre mutat. Vav fortè intercedens transit in ي ut مَرْمِيٌّ *jactus* pro مَرْمُوي

II. 1. ا Dammatum post Phathha in و, Cesratum in ي mutatur.

2. و post Phathha in vocibus triliteris fit ا *quiescens*, in pluriliteris per ي diphthongescit.

3. ي post Phathha diphthongescit. Concurrentibus duobus ي posterius transit in ا ut هَدَايَا *munera* pro هَدَايِيُ

III. 1. و post Cesre in ي transit, ut رَضِيَ pro رَضِوَ *gratum habuit.*

2. ي post Cesre, abjectis vel Damma vel Cesre quiescit, ut خَافِي pro خَافِيُ *nudipes*, et خَافِيِ *nudipedis.*

IV. و *servile* adsciscit ا otiosum. "Samaritani librarii hoc nonnunquam omittunt, si arabica literis pingunt Samaritanis. v. Hwiid Spec. versionis arabico-Samar. Pentat. (Romae 1780.) p. 28. Alii hoc ا inter-

interdum etiam poſt و *radicale* addunt. „ *Michaelis Gramm. arab.*

Praeterea I. 1. ا Quieſcens poſt aliud Phathhatum excidit, aut per Medda (آمَن) aut per Phathha perpendiculare notandum (أَمَن pro ااَمن)

2. ا ante aliud ا *quieſcens* fit و Phathhatum ut نَوَاصر pro نَااصر adjutrices, plur. fract. a ſing. نَاصر

II. 1. و et ي *mobiles* poſt Phathha, ſi ſunt ante و et ي *quieſcentes*, ſimpliciter excidunt. Eaedem Dammatae vel Keſratae ſuam vocalem in locum antecedentis retro transferunt.

2. Pro و et ي *mobilibus* poſt Phathha ante aliam mobilem quamcunque ſaepe ſcribitur ا quieſcens, ut قَام *ſtetit* pro قَوَم

3. Pro iisdem ſub *finem* poſt ا ſervile ſcribitur Hamza.

4. Si و et ي ita ſe excipiunt, ut alterutra prior ſit ſine vocali, و mutatur in ي ut أَيَّام pro أَيْوَام *dies*.

5. In *verbis ſecundae* et *tertiae* radicalis و vel ي hae literae ſaepe permutantur. Idem fit in verbis *primae* radi-

radicalis أوي Rarius ا *medio* (ut دوب idem quod دأب) et *finali*, ut بدأ idem quod بدو *Michaelis Gramm.* p. 109.

De formatione Verborum a Nominibus in genere.

In graeca aliisque occidentalibus linguis nomina formantur a verbis. Non ita in orientalibus nostris, quae a formis iis, quas Grammatici ad modum graecae linguae Infinitivos simplices vocarunt, et *verba* et *alia nomina* derivant. Orientalium Grammatica igitur ad formulas graecae linguae conformata simplicitatem istam, quae Orientalibus dialectis etiam hac in re superest, minus recte deseruit.

Omnis enim illa vocabulorum multitudo in linguis eo redire intelligitur, ut *vel* id quod fit, adjuncta forte *modi*, quo id fiat, significatione, *vel* is, cui et a quo illud fit, exprimatur. Utrumque efficitur si ad linguas orientales attendamus, 1) vel per singula vocabula absolute seu *infinite* posita, quae *nomina* vocamus, 2) vel adiuncta illa *personae* significatione triplici, *mei* nimirum *tui* (vel *vestri*) et *illius* (vel illorum). Personarum, quas vocant, illarum si qua subjectum est in oratione adeoque in nominativo casu ponitur, in ipsam *formam* vocis id transire solet in Semiticis linguis, unde *verba* nata videmus. At vero si persona illa quacunque alia se habeat ratione ad subjectum adeoque reliquis praeter nominativum casibus sit exprimenda,

menda, per particulas vel nomini vel verbo adglutinatas id indicatur.

Vocabula igitur *infinite posita, sive Nomina*, sunt vel Infinitivi vel Participia et Nomina Participialia.

Vocabula, quibus personae, *tamquam subjecti*, inest atque inhaeret indicatio, *verba* sunt, quae vero vel praesentis temporis vel praeteriti vel futuri notationem simul habere possunt. Atque divisionem, quam per has classes fecimus, sine difficultate ac pro indole idiomatis sequamur licet in Grammatica linguae alicuius orientalis Semiticaes*), quod scilicet genus omne linguarum a prima sua origine propius, quam quidem occidentalium idiomata, abesse deprehenditur.

*) Digna est haec diversitas in *formatione* ipsa linguarum Orientalium et Occidentalium observanda, quae ex historia linguarum philosophice pertractanda accuratius, quam in rudimentis Grammaticis fieri vel posset vel liceret, illustretur. Tam grave autem mihi hoc unum discrimen videtur, ut vel solo eo indicio veterem de ortu linguarum *omnium ab uno fonte* sententiam tolli censeamus. Est potius in ipso *climaticae* diversitatis vestigium, quae *a principio* statim in *primam* linguarum *formationem* influxerit. Neque igitur experientiae satis fecerimus, si vim illam climatis, incredibilem quantam! non nisi in mutatione linguarum et dialectorum se postea demum exseruisse profiteamur. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ.

Capvt Tertivm

DE

NOMINE (الإسْـمُ)

I. *De Forma.*

1. De formis nominum *Infinitivorum.* Grammatici *Arabes* formas XXXIII. Infinitivas *primae* Conjugationis numerant, quas totidem *nominum* formas eſſe, facile quivis intelliget. Numerum arabicum (vel potius Indicum) quo in Grammatica Erpenio-Schultenſiana deſignantur, ſingulis apponemus; neque tamen nos eo impediri debere judicavimus, quo minus ipſas in claſſes ſuas methodo divideremus naturae rei convenientiori.

A. Formae Infinitivorum *ſimplices*, quae ad primam ſ. *ſimplicem* conjugationem referuntur:

a) قَـتْـل (1)
قَتْلَة (10)
قَتْلَي (17)
قَتْلَانًا ſ. قَتْلَان (20)

b) قُـتْـل (2)
قُتْلَة (11)
قُتْلَي (18)

قُتْلَان f. قُتْلَانًا (21)

c) قِتْل (3)

قِتْلَة (12)

قِتْلَى (19)

قِتْلَان f. قِتْلَانًا (22)

d) قَتَل (4)

قَتَلَة (13) قَتَال (7) قَتَالَة (14)

قَتَلَان f. قَتَلَانًا (23)

مَقْتَل (30) مَقْتَلَة (31)

e) قُتَل (5)

قُتَال (8) قُتَالَة (15)

f) قِتَل (6)

قِتَال (9) قِتَالَة (16)

g) قَتِل (26) قَتِلَة (27)

قَتِيل (25)

مَقْتِل (32) مَقْتِلَة (33)

Conj. VII. اِنْفِعَال

VIII. اِفْتِعَال

IX. اِفْعِلَال

X. اِسْتِفْعَال

XI. اِفْعِيلَال

XII. اِفْعِيعَال

XIII. اِفْعِوَّال

Numerum harum formarum nondum tamen exhaustum putes. Sed formas indicare Lexici est. Nos nec has exhibuissemus, nisi methodus eas exhibendi a Grammaticis recepta exemplo dato immutari debere videretur.

Formantur vero reliqua nomina sive ad classem Infinitivorum sive ad sectam Participiorum eas retuleris, per literas vocis mnemonicae يتسمنوها quas inde formantes, ab initio praeformantes, a fine afformantes appellant. Forma فُعَيْل est diminutiva.

2. Formae *Participiorum* A) radicum triliterarum.

	Activ.	Passiv.
Conj. I.	قَاتِل	مَقْتُول

قَتِيل
قَتُول } formae tum passivae tum neutrales. Quae si activam significationem habere videntur, id per aliquam primigeniae significationis inflexionem fieri intelligitur.

	Activ.	Passiv.
II.	مُقَتِّل	مُقَتَّل
III.	مُقَاتِل	مُقَاتَل
IV.	مُقْتِل	مُقْتَل
V.	مُتَقَتِّل	مُتَقَتَّل
VI.	مُتَقَاتِل	مُتَقَاتَل
VII.	مُنْقَتِل	مُنْقَتَل
VIII.	مُقْتَتِل	مُقْتَتَل
IX.	مُقْتَلّ	Formari nequit.
X.	مُسْتَقْتِل	مُسْتَقْتَل

Activ.

	Activ.	Passiv.
Conj. XI.	مُقْتَالّ	formari nequit.
XII.	مُقْتَوْتِل	مُقْتَوْتَل
XIII.	مُقْتَوِّل	مُقْتَوَّل

B. radicum quadriliterarum.

Conj. I.	مُقَلْقِل	مُقَلْقَل
V.	مُتَقَلْقِل	مُتَقَلْقَل
VII.	مُنْقَلْقِل	مُنْقَلْقَل
IX.	مُقْلَقِلّ	formari non poteſt.

3. Formae *nominum collectivorum.*

Peculiare eſt Arabicae linguae, multas formas habere plurali deſignando unice deſtinatas. Pluralia *fracta* (جَمْعُ التَّكْسِيرِ vel مُكَسَّرٌ) i. e. non vere talia, vocant. Noſtris *collectiva* jure appellare poſſent. Quae vero cum in Lexicis haud raro omittantur, hoc loco de iis plane ſilere nimiae brevitatis vitium eſſet.

Numerantur autem hoc ordine:

1) فُعَل occurrit, ubi foemininae extant formae فُعْلَة, فُعْلَى, rarius, ubi فَعْلَة فِعْلَة,

Cf. supra p. 19. formam Infinitivam sub litera f. nro. 5.

2) فُعُل ad formas فَعُول, فَعِيل, فِعَال pertinet. A verbis in ي et و desinentibus non formatur. Cf. supra p. 20. notam ad lit. h. nr. 24.

3) فُعْل ad formas أَفْعَل et فَعْلاء

4) فِعَل ad فِعْلَة

5) فِعَال ad formas فَعْل, فِعْل, فُعْل, فَعَل, فَعْلَان, فُعْلَان, فَعِيل, فَعَل, et foemininas formas ab his pendentes.

6) فُعُول ad formas فَعْل, فِعْل, فُعْل, فَعَل, فَعِل interdum etiam فَاعِل

7) فُعَّل (forma secundae Conjugationis) ad formam adjectivam فَاعِل masculine et foem. Masculine nonnunquam occurrit forma فُعَّال In vocibus, quarum tertia radicalis est vel و vel ي, haec et sequens forma non obtinet.

8)

8) قَتَلَة ad eandem formam قاتِل

9) قُتَلَة ad eandem, in formis quiescentibus tertia radicali.

10) قِتَلَة ad formas قُتْل, قَتْل, قِتْل

11) قِتْلَة, ad قَتَل, قَتْل, قُتْل, قَتَال, قُتَال, قَتِيل

12) أَقْتُل ad قَتْل et قِتْل

13) أَقْتَال ad varias formas, plerumque triliteras.

14) أَقْتِلَة ut plurimum ad formas, quae syllabam ultimam longam habent, ut قَتَال, قِتَال, قَتُول, et قَتِيل

15) قَوَاتِل ad قاتِل, قاتَل et قاتِلَة

16) قَتَايِل ut nro. 14).

17) قُتْلَان ad formam قُتَال et inprimis in vocibus mediae rad. و ad formas قُتْل et قَتْل nonnunquam ad formas قَتِيل

18) فُعْلَان ad فَعْل, فَعَل, فَعِيل, فَاعِل si media radicalis est nec و nec ي

19) فُعَلَاء ad فَعِيل et فَعْل

20. أَفْعِلَاء ad easdem formas, plerumque si tert. rad. quiescit, vel media geminatur.

21) فُعْلِي ad formas فَعِيل, فَاعِل et فَعِل.

22) فَعَالِي ad formam فَعْلَاء

Porro post Alb. Schultensium numerantur:

23) أَفَاعِل ad أَفْعَل

24) مَفَاعِل et مَفَاعِيل ad formas a م servili inchoatas, plerumque ad pluriliteras.

25) أَفَاعِلَة et تَفَاعِلَة ad formas quadriliteras أَفْعَل أَفْعِل et تَفْعِيل

Obs. Ex his dictis non inutile foret tabulam colligere, quae nominum collectivorum formae ad certam quandam vocum singularium formam pertinere *possint*, primo obtutui ostensuram.

4. For-

4. Formae *comparationis.* (تَغْضِيل)

In Comparativo et Superlativo est forma أَفْعَل Comparativus determinatur per additum مِنْ *prae.* Forma *foem.* est فُعْلَى

II. *De Genere.* (الجِنْس)

1. In formis *auctis* jam observavimus generis differentiam indicatam per finale ة subinde per ي diphthongescens in Phathha. Sed etiam foeminina quaedam sunt ad formam فَعْلَاء quae nonnunquam derivatur a forma masc. أَفْعَل ut صَفْرَا *flava* ab أَصْفَر

2. In formis *nudis* foeminina sunt nomina muliebria, regiorum, *geminorum* membrorum. Omnia enim gemina etiam *genere* discrepare opinantur orientales. v. Coran. Sur. XXXVI, 36. Hinc praestantius per masculinam, infirmius seu inferius per foemininam formam indicant. cf. hebr. 2. Chron. III, 11. Sic tribus aliqua major masculina, partes, in quas dividitur, foemininae habentur. Etiam, quae subtiliora videntur, foeminina sunt, ut شَمْس, رِيح, مَاء, نَار, نَفْس. Nomina literarum plerumque foeminina sunt.

3. Ne-

3. Quinque formae Adjectivae masc. etiam foeminine usurpari possunt قَتِيل , مِقْتَال , قَتُول , مِقْتَل , مِقْتِيل , Quibus addenda videtur forma comparationis أَقْتَل. Sed illae etiam ة foem. subinde assumunt.

III. *De Numero.* (الْعَدَد)

Praeter Singularem (مُفْرَد) et Pluralem (جَمْع) etiam Dualem habent Arabes, qui vero in lingua eruditorum librorumque multo, quam alibi est, frequentior.

Forma Dualis.

Foeminina.	*Masculina.*
قَتْلَتَان	قَتْلَان
	et
قَتْلَتَيْن	قَتْلَيْن

Forma 1) قَتْلَى dualem قَتْلَيَان, 2) قَتْلا, 3) قَتْلَاء قَتْلَاوَان, قَتْلَاوَان habent. 4) ا rad. manet, inter duas tamen alias Eliph pro lubitu mutatur in و

For-

Forma Pluralis.

Foeminina. *Masculina.*

قَـتْـلَات   قَـتْـلُـون
et
قَـتْـلِـيـن

Forma قَـتْـلِـي facit قَـتْـلُـون, قَـتْـلَـي vero قَـتْـلَـوْن. In formis foemininis a قَـتْـلَـة fit قَتَلَات, a قُـتْـلَة قُـتُـلَات, a قِـتْـلَـة قِـتْـلَات

Quaedam pluralia sunt a singularibus deperditis, ut — أُمَّـهَـات quod ad أُمّ refertur, vere descendit ab أُمَّـهَـة

IV. *De Casibus s. Declinatione.* (الْإِعْرَاب)

1. Ab Arabibus *tres* casus discernuntur:

1) رَفْـع (*elevatio*) nominativo, 2) نَـصْـب (*positio*) accusativo, 3) خَـفْـض (*depressio*) Genitivo, Dativo et Ablativo respondet. Quod Cufensibus خَـفْـض idem Basorensibus جَـرّ (*contractio*) dicitur.

2. Grammatici libris et linguae politiori legem scripserunt, vt formae *plurales masc.* in أن et ون et duales in أن ad primum, formae vero in ين ad roli-

reliquos casus designandos adhiberentur, *formae foemin. plur.* vero in Cesre terminarentur in secundo aeque ac tertio casu. Sed discrimini huic subtiliori usus linguae, prout ea loquuntur vel *cultiores* Arabum, nondum servit. Vocativo utramque terminationem in o et a vel Grammatici liberam relinquunt, sed in primo casu sine Nunnatione.

3. *Singulari* legem figunt: primum casum in Damma, tertium in Kesre, secundum in Phathha exire. Unde forma Accusativi قَتْلًا scribitur, quod ipsum Eliph jam in Cuficis Persepolitanorum saxorum inscriptionibus e Corano desumtis invenitur. Sex Nomina ابو، اخو، حمو، فو، هَنو et ذو in primo casu in و, in secundo in ا, in tertio in ي terminantur.

4. Secundum casum scribi jubent post particulas إِنَّ *utique* أَنَّ *quod* كَأَنَّ *sicut* لٰكِنْ *vel* لٰكِنَّ *sed* لَيْتَ *utinam* لَعَلَّ *fortassis*, etiam post لا significans: *non est*, post verba كان، صار، ليس، ما دام et similia.

5. Tertium Casum poscunt post particulas مِنْ *a*, إِلَى *ad*, عَنْ *a* et *prae*, عَلَى *super*, فِي *in*, رُبَّ *fortassis* et *interdum*, حَتَّى *usque*, حَاشَا *praeter*, مُذْ et مُنْذُ *post*.

6. Vox

6. Vox regens in statu regiminis est sine Nunnatione. Dualis et Pluralis ipsum ن suum tum abjiciunt, quod et rythmi causa omittere licet.

7. *Monoptota* videntur, atque in Phathha desinunt, quae sive 1) in ي antecedente vel Phathha vel Cesre terminantur, ut ذِكْرَى sive 2) in وَ et 3) in يَ originarie terminari debebant, ut عَصَا ab عَصَوٌ et رَامٍ a رَامِيٌ

8. In aliis praeter nominativum casibus in Phathha *simplex* desinunt 1) nomina per أ initiale formata, nisi hoc أ, ut a nonnullis fit in plurali, abjiciant, vel foeminina habeant in ة formata. 2) Adiectiva in ان terminata, nisi forment foeminina in ة 3) Desinentia in ا servile, 4) nomina propria et hominum et locorum. 5) Pluralia fracta formae فَوَاعِل et قَمَاطِر s. قَمَاطِير (sec. *Erpenium*) quibus *Guadagnoli* addit formas مَفَاعِل, فَعَالِل, فَعَالِيل, فَعَايِل, مَفَاعِيل, أَفَاعِل, فَعَالِل 6) quadrilitera etc. *Alb. Schultens* in Gramm. Arab. subtilitates has dignas non judicasse videtur, quae anxie exponerentur.

V. *De Praefixis, quae Nominibus adhaerent.* *)

Obs. Omnes hae particulae vocem, cui adhaerent, ponunt in tertio casu, unica, quam notavi, excepta.

أَ 1) *Vocativi.* Rarum, ut أَيُوسُفُ *o Josephe.*
2) *Interrogativum.*

بِ 1) *in, per, propter, cum.*

2) nota asseverandi. بِاللهِ *per Deum.*

3) nominibus frequenter pleonastice ita praefigitur, ut explicari fere possit: *inter* e. g. لَسْتَ بِبَعِيدٍ *non es inter remotum* i. e. *non es remotus.* Marc. XII, 34. Aliquando explicaveris hoc بِ per: *quod attinet.* اِذَا بِالرِّجَالِ يَسْأَلُونَ . . . *ecce in hominibus i. e. quod attinet homines, interrogabant.* Act. X, 11.

تَ in obtestationibus per Deum. تَاللهِ Sur. XVI, 65.

كَ comparandi.

لِ an-

*) *Particula* dicitur حَرْفٌ جَاءَ لِمَعْنًى *litera veniens in significationem*, quae scilicet per se aliquid significat. *Gjarumia* p. 4. De particulis *separabilibus* vide Lexica.

لِ (ante ſuffixa لَ) Relationem qualemcunque indicat, deſcendens a vocula ٱلَّتِي ſic etiam ante vocativos, ut يَا لَلْعُمْقِ *o profundum!* Rom. XI, 33. Etiam per Phathha, ut يَا لَزَيْدٍ

مَ deſcendens a vocula مِنْ. Rarum apud Arabes.

وَ 1) *Et.* Si duo nomina per وَ junguntur, ita ut وَ explicari poſſit per *cum*, illud *in libris* punctationem ſecundi caſus infert.

2) in aſſeverationibus وَٱلسَّمَاءِ *per coelum.*

3) frequentiae nota eſt e. g. وَفُتُوٍّ v. Hamaſām ex ed. Schultens. p. 430. qui in nota ſcribit: *nihil frequentius apud Poetas.*

Articulus أَلْ etiam huc referri poteſt, qui vero abeſſe ſolet 1) a nominibus propriis hominum (non rerum), 2) ſuffixo auctis et 3) in regimine poſitis. Adjectivum ſubſtantivo ſubjunctum Articulo non caret. — "Invenitur ال futuro interdum praefixum, ut ſignificet idem quod الذي. Natio quaedam pro ال uſurpat ام „ *Erpen.* ad *Gjarumiam.* p. 7.

Caput Quartum
de
VERBO (الفعل)

In Arabica lingua, ut in reliquis, quas Orientales appellare folent, a nominibus Verba derivari jam notavimus. Inde fit, *ut duo*, quae Orientales habent, *tempora* multo minus definita fint, quam in cultioribus linguis Occidentalium. Altera tamen forma, quam Praeteritum appellant, crebrius vel praefens vel praeteritum, altera frequentius futuri quid indicat. Quod nimirum non folum, ubi quid *poftea* contingit, fed omnino etiam tum intelligitur, cum e. g. de effecto poft caufam, de rationato poft rationem, de confequente poft antecedens, de perpetuitate alicujus confuetudinis feu actionis, fermo eft. Utraque temporis forma *Aoriftus* vocari poffet.

I. *De Conjugationibus.*

Tertiae perfonae praeteriti et primae futuri, antequam fervilibus f. *formantibus* literis *) additis aliquan-

*) Litterae formantes in Verbis funt: يتسمنوا, ex quibus ت fi poft primam radicalem (in Conjug. VIII.) poni debebat, 1) in radicibus ab ا, ث, و, et ي incipientibus hanc literam expellit, ejusque in locum *duplex* fcribitur per ّ 2) in radicibus a ص ض ط ظ inchoatis cum ط 3) in radicibus a د ذ ز incipientibus cum د permutatur.

quantulum immutantur, vere et manifesto sunt formae *Infinitivae*, id est: nondum per personas definitae. Potissimas sistat haec

Tabula Conjugationum.

III. Classis	II. Classis	I. Classis
قَاتَلَ 3.	قَتَّلَ 2.	قَتَلَ 1. *)
		قَتِلَ, قَتُلَ formae rariores.
قُوتِلَ	قُتِّلَ	pass. قُتِلَ
تَقَاتَلَ 6.	تَقَتَّلَ 5.	أَقْتَلَ 4.
تُقُوتِلَ	تُقُتِّلَ	أُقْتِلَ
	اِقْتَتَلَ 8.	اِنْقَتَلَ 7.
	اُقْتُتِلَ	اُنْقُتِلَ
		اِسْتَقْتَلَ 10.
		اُسْتُقْتِلَ

1. *Praeter has* aliae inveniuntur formae rariores e.g. *quartae* Conjugationis اِقْتَلَّ 9.

 et

*) Praefixus hic numerus *Indicus* ordinem significat, quem Grammaticae receptae his Conjugationibus fixerunt, arbitrarium.

et اِفْعَالَّ 11. utraque paſſivo carens, et in coloribus nominandis uſitata. Ejusdem originis eſſe videtur اِفْعَوَّلَ 13.

(اُفْعُوِّلَ paſſ.)

Forma *octavae* Conjugationis اِفْعَوْعَلَ 12.

(اُفْعُوعِلَ paſſ.) Dantur adhuc rariores e. g. formae *ſextae* (vel potius *novae alicujus Conjugationis* indicia a ſexta pari modo, ut octava a quinta deſcendentis): اِتَّفَاعَلَ et *octavae* اِتَّفَعَّلَ quarum exempla aliqua ſunt in Michaelis Gramm. arab. p. 127. §. 34. Neque enim conjugationum *compoſitarum* quartam claſſem inde nos effingere velimus.

2. *De diſcrimine ſignificationis* per has Conjugationes generatim obſervare poteris: *a*) *Prima* Conj. actionem notat vel tranſitivam vel intranſitivam. *Intranſitiva* pleramque *Ceſre*, nonnunquam *Damma* habent ſub *media* radicali. *b*) *Secundae* et *quartae* Conjugationis ſignificationem plerumque exprimere poteris, ſi primae Conjug. ſignificatui addas notiones: *fecit*, vel *ſivit*. *c*) *Tertia* et *ſexta* ſaepe notionem *reciprocandi* habent. *d*) Per *quintam* et *ſeptimam* indicatur, *ſi quis id, quod ſecunda Conj. ſignificat*, ſibi *ſinat fieri*. Eodem modo *octava* ſe habet ad *primam*. *e*) *Nona*

et

Dualis: Secunda persona communis.	Tertia persona foem.	Tertia persona masc.	Prima persona communis	Secun[da] foeminina
قَتَلْتُمَا	قَتَلَتَا	قَتَلَا	قَتَلْتُ	قَتَلْتِ
قَتَلْتُمَا	قَتَلَتَا	قَتَلَا	قَتَلْتُ	قَتَلْتِ
مَدَدْتُمَا	مَدَّتَا	مَدَّا	مَدَدْتُ	مَدَدْتِ
قُلْتُمَا	قَالَتَا	قَالَا	قُلْتُ	قُلْتِ
سِرْتُمَا	سَارَتَا	سَارَا	سِرْتُ	سِرْتِ
غَزَوْتُمَا	غَزَتَا	غَزَوَا	غَزَوْتُ	غَزَوْتِ
رَمَيْتُمَا	رَمَتَا	رَمَيَا	رَمَيْتُ	رَمَيْتِ
رَضِيتُمَا	رَضِيَتَا	رَضِيَا	رَضِيتُ	رَضِيتِ

Participia.	Infinitivi.		
قَاتِلٌ	قَتْلٌ	قَتَلْنَا	قَتَلْتُنَّ
قَاتِلٌ	قَتْلٌ	قَتَلْنَا	قَتَلْتُنَّ *)
مَادٌّ	مَدًّا	مَدَدْنَا	مَدَدْتُنَّ
قَائِلٌ	قَوْلًا	قُلْنَا	قُلْتُنَّ
سَائِرٌ	سَيْرًا	سِرْنَا	سِرْتُنَّ
غَازٍ et غَازِي	غَزْوًا	غَزَوْنَا	غَزَوْتُنَّ
رَامٍ et رَامِي	رَمْيًا	رَمَيْنَا	رَمَيْتُنَّ
		رَضِينَا	رَضِيتُنَّ

*) Etiam قَتَلْتُنْ

rbo regulari et Anomalis.

Singularis

…a persona masculina	Tertia persona foeminina	persona masculina	
قَتَلْتَ	قَتَلَتْ	قَتَلَ	forma eruditorum.
قَتَلْتْ	قَتَلَتْ	قَتَلْ	forma vulgaris.
مَدَدْتَ	مَدَّتْ	مَدَّ	geminatum.
قُلْتَ	قَالَتْ	قَالَ	Ain Waw.
سِرْتَ	سَارَتْ	سَارَ	Ain Jod.
غَزَوْتَ	غَزَتْ	غَزَا	Lam Waw.
رَمَيْتَ	رَمَتْ	رَمَي	Lam Jod.
رَضِيتَ	رَضِيَتْ	رَضِيَ	

Pluralis

قَتَلْتُمْ	قَتَلْنَ	قَتَلُوا	linguae eruditor.
قَتَلْتُمْ	قَتَلْنْ	قَتَلُوا	linguae vulgaris.
مَدَدْتُمْ	مَدَدْنَ	مَدُّوا	geminatum.
قُلْتُمْ	قُلْنَ	قَالُوا	Ain Waw.
سِرْتُمْ	سِرْنَ	سَارُوا	Ain Jod.
غَزَوْتُمْ	غَزَوْنَ	غَزَوْا	Lam Waw.
رَمَيْتُمْ	رَمَيْنَ	رَمَوْا	Lam Jod.
رَضِيتُمْ	رَضِينَ	رَضُوا	

Dualis: Secunda persona communis	Dualis: Tertia persona foemin.	Dualis: Tertia persona masc.	Prima persona communis	
قُتِلْتُمَا	قُتِلَتَا	قُتِلَا	قُتِلْتُ	ـتِ
. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	Et sic pr[…]
مُدِدْتُمَا	مُدَّتَا	مُدَّا	مُدِدْتُ	ـتِ
. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	.
قِلْتُمَا	قِيلَتَا	قِيلَا	قِلْتُ	ـتِ
غُزِيتُمَا	غُزِيَتَا	غُزِيَا	غُزِيتُ	ـتِ
. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	.

Participia	Infinitivi		
